

Dissertatio medica inauguralis, de nosocomiis ... / [Edward Foster].

Contributors

Foster, Edward, -1780.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour, Auld, et Smellie, 1767.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qqctc6fy>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

G. v. 1. 18

DISSE

6459/P

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE Ex dono Geo. Roy

NOSOCOMIIS;
Quām.
Gloria loc: *Med: Alaud:*
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

N E C N O N
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

EDWARDUS FOSTER,
HIBERNUS.

Pridie Idus Junii, hora locoque solitis.

Μακάριος ὁ συνιων ἐπὶ τῶν καὶ τενήτα,
ἐν ἡμέρᾳ τονηρᾳ βυστῖαι αὐτον ὁ Κύριος.

PSAL. XL. I. Septuag.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,
Academæ Typographos.

M,DCC,LXVII.

H 35-

ADICAM OITY THE 13310
SILVER BUDUAGI

316834

WELCOM
LIBRARY
INSTITUTE

316834

WELCOM
LIBRARY
INSTITUTE

316834

WELCOM
LIBRARY
INSTITUTE

316834

V I R O I L L U S T R I ,

E T D E P A T R I A O P T I M E M E R I T O ,

C A R O L O L U C A S , M . D .

S U P R E M A E A P U D H I B E R N O S C U R I A E ,

C I V I T A T I S D U B L I N E N S I S M I S S U ,

S E N A T O R I ,

E D V A R D U S F O S T E R

S A L U T E M P L U R I M A M D I C I T .

CUM summos petens medicinae ho-
nores, ex academiae instituto, scri-
bere aliquid necesse haberem, et de noso-
comiorum natura libellum confecisset,
sub cuius eum auspiciis potissimum tu-
tarer deinde circumspicienti, Tu mihi,
Vir egregie! primus ad mentem, tu solus
accurristi; et merito. Cui enim patrono
aliquod de re medica conscriptum, quam
medicinae peritissimo, potius sacrarem;
cui, ad publicum aliquod commodum
pertinentem, quam hujus praecipuo Pro-
pugnatori; aut, nosocomia respicientem,

a

quam

quam nosocomiorum ubique per totos
 agros Hibernicos condendorum Auctori?
 Qua quidem re nihil praeclarus, nihil
 humanius, aut viro pietate et meritis ad
 magnum honoris fastigium evesto dig-
 nius esse potest. Profecto, si dictum
 CICERONIS, "homines ad deos nulla re
 " propius accedere, quam salutem homi-
 " nibus dando," cuiquam, certe medico;
 si medico, tibi ante omnes, convenit. In-
 ter enim te et alios medicos hoc interest;
 ut illi, quantum opera assequi propria
 possint, saluti humanae consulant; tu,
 qui five scientia, five diligentia, five suc-
 cessu medendi, nemini, ne celebratissimis
 quidem Nominibus, cedis; praeterea, sena-
 tusconsulto impetrato, egenis aegrotan-
 tibus, quae ubique maxima turba est,
 per totum amplissimum regnum, praes-
 sentem opem inveneris. Neque hac in
 laude, quippe quae nova prorsus sit, ali-
 orum exemplum secutus es, sed ipse aliis
 utile futurum proposuisti. Etenim ve-
 risimile est, ut nulla hactenus civitas pa-
 rem pauperibus pietatem praestitit, ita
 nullam

nullam non, facti utilitate adductam, deinceps praestituram. Ut adeo non tuis civibus solis, sed, quotquot tuae bonitatis fructum olim percepint, iis omnibus propitius fueris. Ergo, quod in te fuit, quod in homine esse potest, perfecisti; teque pium civem, probum virum, sapientem senatorem, et prudentem medicum, ostendisti. Verum etiam quod ad alios attinet, tibi amplius aliquid providendum est, et in longitudinem consulendum. Pulcherrima exempla, per improbitatem et nequitiem hominum, in pessimos eventus trahi possunt. In omni re plerique mortalium, publica simulata, privatam utilitatem captant. Atque, ut quisque pessimus est, ita proprio lucro maxime est deditus. Hinc gratia, audacia, et largitio, dignorum hominum incorruptam et modestam virtutem circumvenit. Hinc nequissimi et ignavissimi mortales bonorum praemia ereptum eunt. Atque si, in praesentia, hujusmodi artes malae, quod super tam omen avertant, dominabuntur; hinc quoque, communis salus in medio

lacerata jacebit, et frustra tua bonitas,
frustra misericordia publica, erit. At ne
quid tale, in novo tuo consilio, fiat, et
rem praeclarissimam omnium corrumpat,
tuum est, Vir Optime, quantum res ferat,
prohibere. Prohibendi autem, si meam in-
terponere opinionem deceat, haec sola ratio
est; ut non solum, quod jam factum est,
gravium virorum qui et ipsi spectati me-
dici sint, collegium instituatur; sed cum
chirurgis medici quoque singuli in singu-
lis nosocomiis adhibeantur, his summa
cura detur, ut utriusque omnium casuum
curationes omnes libro fideliter prescri-
bere, prescripta collegio supra relato
quotannis cognoscenda subjicere, obstrin-
gantur; ut diligentes et bene meriti lau-
dentur, ignavi et tanto muneri praestando
impares ignominia notentur, aut loco
moveantur; denique una mente, uno con-
silio, omnia administrentur. Verum, cum
e contrario id agi videam, ut, exclusis me-
dicis, chirurgis summa haec administra-
tio detur, non possum non meum ejus rei
dolorem testari. Quis non videt medici
et

et chirurgi officia inter se prorsus discrepare; multoque majorem ubique morborum numerum, operam illius, non manum hujus, desiderare? Certe nullus populus, nostris Civibus exceptis, non videret medicorum in valetudinariis ample curandis necessitatem, ubi decemplex facile morborum numerus illorum opem requirit. Neque sapientissimus quisque apud nos hoc ignorare potest. Imperatores vero rerum, quo melius idem cognoscant, et suum errorem videant, ad librum, quem vir gravissimus BROCULSBEIU'S de Morbis Castrenibus conscripsit, relego. Quod si alii chirurgi tantae curae inepti habeantur, an Hibernici multo aptiores credendi sunt, aut praeceteris terris morbi cultro, emplastris, et fasciis curandi, intra quae chirurgi totum officium consistit, apud nos unos abundant? Si neutrum verum est, solam aut summam aegrotantium, de quibus agitur, curationem, istis hominibus non esse permittendam, et optimi cujusque medici operam adhibendam, sequitur. Ergo, ut supra dixi,

dixi, ad te redit, ne quid ex his rebus detri-
menti res communis capiat, tuumve con-
filiū pessumdetur, prohibere. Quod si
feceris, praeter ea quae tui operis rationem
respiciunt, alia commoda ad publicum et
ad genus humanum pervenient. Quippe
aemulatio sic accensa, reliquorum per to-
tam Insulam medicorum ingenium ac-
cuet, et industriam excitabit. Hinc me-
dicina accuratius et subtilius ubique ex-
erceri, experimenta et observationes utiles
et salutares in lucem edi, et Hibernia, quae
antehac medicinae arte totam Europam
tarde et longo intervallo secuta est, totam
praecedere potest. Inter alia vero quae
hinc utilissima esse possunt, diligens coeli
vicissitudinum et tempestatum generum
observatio, quae privatim difficile, in pub-
lica tali ratione facile, haberi potest, non
est praetereunda. Quod si HUXHAMUM,
qui et verbis et exemplo medicos ad hoc sus-
cipiendum hortatus est, nemo unus, scilicet
labore deterritus, secutus est; tamen multi,
gloria accensi, et imperio coacti, nullo
negotio laborem superabunt, et ex obser-
vationibus

vationibus omnium, quotannis a collegio exploratis, non poterit non aliquod excerpti, et cum summo rei medicae commodo in lucem quotannis exire. Pari ratione, ex curationibus morborum supra dictis quicquid memorabilius visum fuerit, id quoque publici juris factum medicinam locupletabit. Quae bona praestandi, opes fundendi, et Hiberniam divite artis Apollineae vena beandi, pulchrior hac occasio dari nulla potuit. En tibi, Vir Honestissime, novae et verae gloriae propositam ante oculos materiem!

QUOD ad nostrum opusculum attinet, fateor id neque emendatum, neque limatum, neque absolutum esse, quippe quod studiorum ratio, et angustia temporis, non permiserit. Statuam quasi rudem expressi, quam alii oblatam poliant; partesque et membra totius molis ita descripsi, ut singula tamen lima ulteriore et accuratiore arte egeant. Nam five aëris, five mundiatarum, five contagionis, seu multarum aliarum rerum, natura consideranda est; vides, quot verbis, quanto labore, unaquaeque

que harum tractari, et ultra solitos hujusmodi disputationum limites procedere possit. Accipe igitur aequi bonique has paginas; tua auctoritate et nomine protege; et culpas omnes scriptoris juvenis voluntati condona. Ipse autem perge, ut coepisti, esse emolumento patriae, propugnaculo libertati, decori et ornamento tuis, praesidio miseris, et singulari integratatis senatoriae, inter millia flagitiorum, exemplo!

EDINBURGI,
Prid. Non. Jun.

DISSERTATIO MEDICA

MED. CHIR. SOC.
ABERDEEN.

D E

N O S O C O M I I S.

EXPOSITURUS, quemadmodum omnia ad nosocomiorum usus pertinentia curari gerive debeant, quo illustrior dicendorum ordo sit, institutum opus in quatuor partes diducam.

PRIMA, domicilii situm; altera, ipsum hoc, una cum iis quae extrinsecus aut intus ad idem proprius attinent; tertia, administrationem; quarta, victum et medicamenta, tradet.

QUARUM divisionum iterum unamquamque, prout res postulaverit, suo postea loco dividam.

CERTISSIMA et saepius luctuosa experientia demonstravit, non omnem situm, multitudini etiam sanorum hominum in eundem locum conclusorum, ac ne quidem singularibus, convenire: Quo major aegrotantium ratio habenda est; nisi si qui, ut CELSUS ait, "persuadere nobis volunt, sanis quidem confiderandum esse quod coelum sit, aegris vero non esse. Quibus tanto magis omnis ob-

A

"servatio

“ servatio necessaria est, quanto magis obnoxia
“ offensis infirmitas est *.”

IGITUR situs, coeli folique ratione habita,
ideoque, in utroque totus consistens aér, con-
siderandus est. Quo autem modo aér in coeli
et soli natura consistat, et, pro diversis eorum
conditionibus, melior aut pejor sit, nisi obiter
non sum dicturus. Solumque, quae aëris pro-
prietates, in sitūs delectu habendo, spectandae
sint, exponam.

AERIS tria, in salutem humanam, ideoque
in nosocomiorum usus, quaerenda sunt; SICCI-
TAS, TEMPERIES MODICA, ET PURITAS. Qui-
bus contraria sunt vitanda. AER maxime
siccus in iis locis est, quae, modica altitudine,
nuda, patentia, a magnis maribus remota, vel
ab his, montium interventu, tecta sunt.

Vix autem, ne nimis sicca coeli natura sit,
metuendum est. Quam adeo sanitati necef-
fariam egregius PRINGLE opinatur, ut, in-
salubrem, nisi in arenosis solitudinibus, posse
esse neget †. Si vero periculi quicquam in
siccitatibus subefset, certe aestate praecipue
incideret, qua eae maxime fiunt. Quo ta-
men tempore, ut fatis ad salutem humoris ab
aëre suppetat, varia humi nascentia, luxuri-
antia,

* A. Cornel. Cels. praefat. sub fin.

† Diseases of the army, part 2. chap. 2. p. 84.

antia, summam ubique terram obducentia, et incredibilem humoris vim, incredibili velocitate, per innumerabilia foramina, ad superum aëra, omni temporis puncto, dimittentia, efficiunt. Praeterea, ubi plures homines vivunt, inde semper, ex aqua et aliis circa eos vaporibus, satis superque madoris, cum aëre permiscetur. Non igitur quaerendus humor, sed omni cura, ut mox ostendetur, cavendus est. Quem, quoniam omnibus testimoniis et argumentis major, etiam experimentorum fides nocentissimum esse confirmavit; igitur, quae is locus maxime infestet, dicendum est; fontesque humoris, quo certius in situs domicilii delectu habendo, vitentur, retegendi.

IGITUR, neque in summis montibus; neque in planiciebus, praefertim uberiore et ditione solo, neque in fluminum ripis; neque in imis vallibus; neque prope paludes, uadive inaequilater loca; neque silvarum tractui vicina; neque magnis maribus objecta, nosocomia salubriter conduntur.

NAM altissimum quemque locum humor omnis coelestis, praeceteris, petit. Id quod nebulae coelumque ibi obnubilum toties visum, cum omnia in tractibus subjectis serena tamen sunt, ostendunt.

AD imas valles, terrestris omnis mador undique, ex superioribus regionibus, confluit.

PLANITIES autem eo sunt vitandae, quod, nisi declivitates sunt, per quas collecta aqua delabatur, haec cumulata subsistit, et totam terrae faciem humidat. Quod si solum quoque per cujus foramina ut illa descendat reliquum est, uberius magisque argillaceum est, nullus omnino humoris exitus dabitur. Qui igitur coelum ascendat, per aëra diffundatur, madidumque hunc et gravem reddat, necesse est.

QUANTUM autem humoris, ideoque noxae, a fluminibus ortum ripas et vicina petat, rores, halitus, et nubilia, vespertinis, nocturnis, et matutinis horis, praesertim post calores diurnos summissa, demonstrant.

MADIDORUM vero vaporum magnam vim, a magnis maribus ad objectas terrarum oras ventos perferre, notissimum est. Quo fit, ut eae plagae, quae mari Atlantico, Oceano Germanico aut Pacifico, opposita jacent, maxima humoris copia infestentur; eoque majore, si qui loci inter altorum montium juga, et talia aequora interclusi, collectos intra angustum spatium vapores excipiunt. Quorum utique locorum eae partes, quas inter et maria montes interjacent, tutae magis magisve, ubi nosocomia

socomia aedificantur, idoneae sunt, quia interceptus altera parte vapor ad alterum non pervenit.

PALUSTRUM vero, praesertim uorum, locorum vicinitas gravissima et summe insalubris accolis est, quia plurimum inde madoris oritur. Itaque omnium regionum, hujusmodi loca spargere morbos, et mortale genus varic divexare, pro aliarum rerum simul agentium et morborum faciem aliter atque aliter mutantium varietate, perspiciuntur.

NEQUE, ob eandem causam, vastarum silvarum tractus minus noxae inferunt. Ad quas magna humoris vis, partim coelestis, partim terrestris, item a foliis, ab arborum et reliquorum humi nascentium summis spatiis promanans, undique congeritur. Unde eadem fere quae supra demonstrata sunt mala, eademque de causa, gignuntur. Americani salubiores regiones experiuntur, quo plura loca, excisis filvis, circa domicilia quaeque nudarunt. Quinetiam Britannos, antiquam circumsepiendi villas arboribus consuetudinem passim commutasse, et apertiora undique loca, ac latos prospectus, quam maxime affectare video; scilicet, haud indoctos, quanta mala a priore, quanta a praefente instituto bona, ad salutem suam perveniant.

OMNIS vero humor eo pejus mortales habet, quo major ejusdem copia est. Itaque rerum supra commemoratarum noxis judicandum est. Uda vero et silvestria loca, eo nomine, nocentissima sunt, quod plurimum mandoris ad hominum corpora perferunt; illa, quia summa spatia multis partibus, quam planorum, auctiora sunt; haec, cum ob eadem summa spatia, per truncos, per ramos, per folia et frondes, incredibiliter ampliata; tum, quia totidem radiculis, quot partes supra terram, eminent, aquam e terra avidissime haustram rapidissimo per has omnes meatu undique demittunt. Quocunque autem modo, et quibuscunque ex rebus, corporibus hominum humor adhaerescit, omnia mala, ex occlusa perspiratione nascentia, inde oriuntur. Et, praecaeteris, febres intermittentes in humido omn tractu dominantur.

TEMPERIEI coeli tenuis nobis copia est. Quae enim mortalium cura, quod artificium, varias coeli vices regere aut multum mutare queat? Atqui modica utique temperies in primis necessaria est. Quae quidem, si ad siccum aëra jam expositum additur, ipse coeli habitus prope inventus erit, qui saluti humanae quam maxime conveniat. Talis aër corpora nostra debito pondere et elatere premet, justum firmis partibus

tibus tonum praestabit, ut hae humores rite impellant, inque vicem ab iis repellantur, faciet; postremo, omnia vitae officia, actiones omnes, intra justum modum continebit. Sed quoniam modica temperies frigoribus et caloribus nimiis media intercedit, de his utrisque verba deinceps faciam, quidque in nobis adversus ea praesidii sit attingam.

CALOR vel per se vel coniuncto humore agit. Per se, ubi vehementissime premit, mortales variis turbis et subita saepe pernicie afficit. Quod fatum sub frigidore coelo vivere consueti et in ardentes orbis plagas transducti, item complures angustius et confertim habitantes, saepe sunt experti. Atque id periculi imae valles, parietes ex lateritia vel lapidea materia confecti et calce firmati, ubi ii domum circumsepiunt, praeterea solum arenosum, aestivo ubivis tempore per calidos dies inferunt; quippe quae Solis radii gravius feriant, atque inde repercussi periculofo aestu mortalia corpora torreant. Itaque ea a nofocomiis procul abeñie debent.

QUOD si calorì aëris adeo per se gravi humor quoque accessit, quae duo vitia nunquam non stagnantem secum naturam quoque trahunt, et commemorata mala cumulant, quanta strages,

strages, quam dirae cum putredine pestes et plurima mortis imago, graffentur, necesse est!

“ Quis cladem illius” coeli, “ quis funera fando
“ Explicet, aut possit verbis aequare laborem * !”

SUPRA ostendi, fatis semper humoris a multitudine eodem collata ad circumfusum aëra differri, neque non verisimile est, etiam illum coniuncto calore putrida quoque mala gignere posse. Omnia vero putredinis genera, et pestis morborum facies, ex fontibus humoris et caloris externi coniunctis, nascituros esse constat. Ergo, quo tutiora nosocomia et a geminatis noxis liberiora sint, omnia loca, quae sive humorem sive calorem nimium adferre propositum est, ab illis dissideant oportet.

FRIGUS quoque vel per se, vel coniuncto humore, agit.

SEORSIM agens frigus, structurae ratio, postea memoranda, facile in habitabilibus orbis plagis defendit; ideoque ab hoc loco omnis de eo quaestio aliena est.

FRIGORIS autem humidi, in domo condenda, observatio quaedam necessaria est. Atque hic quoque humoris, cuius ante me mini, origo varia vitanda est. Itaque summi montes, imae valles, confita arboribus, uda aut

* Virgil. Aeneid. lib. 2 vers. 361.

aut palustria loca, et similes aliae res, domui vicina ne fint. Omnis autem frigoris vis, accedente madore, duplicatur, arctius corporibus adhaeret, et diutius retinetur. Eadem fumini corporis foramina occludit, adstringit, perspirandum vaporem retinet, et in interiora convertit. Unde febres cum totius corporis habitu inflammato, partiumque inflammations, nascuntur.

PORRO ut aér quam purissimus, ideoque, omni ex parte, sanitati aptus fit, omnia quae eum contaminent cavenda, domusque ab omnibus remota instituenda est. Hic autem, non de toto coeli ambitu, sed de aëre terram et hominum corpora proprius depresso, loquor. Is enim rebus impuris pervius solus inquinatur, atque ex eo, ut quaeque pars maxime stagnat, ita maxime polluta nocet. Aëra omnia acria, praesertim putrida, polluunt, et sanitati ineptiorem efficiunt. Quorum utique origo in animantium et terra nascentium vaporibus quibusdam consistit. Nam si qua labes ex fossili quoque natura oriri putanda est, eam, ut magis reconditam, minusque, in situs nosocomiorum delectu habendo, saepe se offerentem, haud sane multum morabor. Urbanarum igitur fordium colluviem, noxas ex summis hominum corporibus, e pulmonibus, ex alvo, ex urinae itineribus, e ventriculo,

et cum aliis corruptis excretis dimanantes, aquam stagnantem, aut fossas putridas prope, nosocomia collocanda non sunt. Atque haec, si magna vi et copia circumvolitant, et cum aëre non mixta ventisve ablata, nostris corporibus intus accipiuntur, quolibet tempore offendunt. Ad quae, si aestivorum dierum, si rerum de quibus supra memini calor, si earundem humor, si stagnans aér, et similes aliae noxae superadduntur; multiplicata clade, diraque putredinis, contagionis, et faevarum pestium lue, mortales rapiuntur.

SUPRA demonstratum est, eo plus aquae ad coelum ad surgere, quo ampliore summo spatio eidem exponitur; ideoque summum solum inaequaliter u dum, quam altiores aquas, magis nocere. Quae tamen noxa humoris avolantis copiae non tota tribuenda est. Sic enim quiescens humor et calori objectus facile stagnat et corruptitur, ut haec quoque corrupti aëris causa sit. Cujus rei exemplum ex Ægypto Inferiore petitum mihi succurrit. Quibus enim temporibus Nilus inundans totos vicinos agros alto flumine obruit, accolae ab omnibus morbis immunes summa valetudine fruuntur. Contra eodem, ripis repetitis, in justum alveum relabente, eique tractu proximo toto uido, et partim sicco, partim madido, relicto,

relicto, pestes et omnium morborum putridorum genera per populum nata grassantur. Porro, licet nihil sicco et puro aëre, ut supra dictum est, salubrius sit, ideoque omnia, quotquot eum inquinent, tollenda sequatur; tamen, si id fieri non potest, aquarum ea altitudo quae impura omnia tegat, non solum minus nocebit, verum etiam, adversus putredinem et alios illorum effectus, praefens auxilium erit. Itaque LANCISIUS Hadrianam molem, cum palustri praecipue coeno inquinata esset, neque illico exhaustiri potuisset, deducta ex Vaticanis hortis lympha, sic temperavit, ut accolas peste laborantes minime deinde laeserit. Idem Romae, PISAURI et alibi, ejusdem consilio, factum est *. Item per quadraginta annos, omnia ex omnibus domibus fordium genera, in magno latoque ad moenia magnae urbis stagno collecta, quoad superante aquâ tecta sunt, nihil nocuisse, postque summam tandem aquae faciem exsuperatam, aëri aperto subjecta, horrendam febrem per populum sparsisse, et, pro quadragenis quotannis perire solitis, eo anno capitum millia duo ad orcum demississe, SENNAACUM testari video †.

DOMI-

* De nox. palustr. effluv.

† De recond. febr. intermit. tam remitt. natur. l. 1.
cap. 4.

DOMICILIUM et ad id pertinentium ratio triplex est: primumque de libero spatio extero; deinde de ipso aedificandi negotio; postremo de internis ejus partibus, pauca differam.

CUM multarum rerum et, praeceteris, arborum et aliarum domuum vicinitatem, jam vetuerim; igitur libera omnia et aperta circa domum debere esse intelligitur. Sed ad causas ejus rei ante expositas, alia nunc explicanda accedit. Pars curationis exercitatio est, cuius quoque ut ambulatio pars est, ita ei necessario locus erit describendus. Qui locus hortus sit, an area porrecta, vix refert. Quod si idem cingendus videbitur, parietes neque ex aggere, neque ex lapidea, neque ex lateritia, aut ulla alia solida materia perficiendos, sed cratibus ita conjunctis, ut multo plus vacui inter binas quasque intercedat, quam ipsae solidi habeant, contexendos, judico. Illud enim sepimenti genus nimis clausum, quo minus ad domum aër libere perveniat, prohibebit; hoc non erit impedimento. Praeterea semitae variae fieri, aliae planae, aliae leniter acclives, aliae rectae, aliae flexuofae, quo major ambulandi sit varietas, debebunt. Quam varietatem variae vires et casus ambulantium postulabunt. Postremo, cum ii qui sic excercendi sint, in numero longis,
ideoque

ideoque plerumque lenioribus morbis affectorum, aut convalescentium futuri sint, ne quid lascivius minusve decore geratur, viros a mulieribus separato loco ambulare convenit.

ÆDIFICANDI ratio proxima est, sub qua tria, materiam, domus genus, et positum, comprehendam.

Nihil lateritium, nisi in iis regionibus ubi lapidum copia non est, ad aedificandum adhiberi debet; atque, ubi ea illius materiae necessitas fuerit, tamen, in justam hujus quae fieri solet crassitudinem, parietes patere, neque sumptui parcí convenit. Major enim crassitudo, praeter firmitatem quoque majorem, plus hieme caloris, aestate frigoris, praefstat. Similique rationem tectum, prout tegulis lateritiis aut lapideis factum fuerit, habebit. Item gradus, ingredientium vestigiis primi semper subjecti, ideoque quam maxime semper inquinati, quo facilius mundi ac nitidi serventur, ex lapidibus politis et laevibus, unde fordes nullo negotio absterguntur, perfici oportet. Quicquid autem instruitur aut contingit, calce consolidandum est, parietumque interiorum totum spatium calce quoque inducendum, ne quid ubique rimae aut vitii relinquatur. Haec autem, quo melius frigus nimium,

quod

quod cavendum supra dixi, defendatur, et alia postmodo memoranda, servanda sunt.

SIMPLEX domicilium duplii praefstat, cuius totam latitudinem singula cubicula occupent, et in unoquoque fenestrae utrinque fenestrarum opponantur. Quo fiet ut vix ullus flare ventus queat, quin, iis per occasionem apertis, intus dirigatur. Quae res, ventilabris multo commodius et expeditius, aera stagnantem aut minus spiritui aptum commutat renovatque. Saepenumero autem, ubi ab altera sola parte fenestrae instruendo relictae sunt, nulla his vel maxime apertis aura intus perfertur. Ob eandem quoque causam, magnae atque altae eaedem fieri debent. Cui altitudini ut locus sit, contignationes in idoneam altitudinem elevandae sunt. Denique, pro longitudine ejus, domis certis intervallis ab ima parte ad summam gradibus fecunda est, iisque ad omnia cubicula perviis opus erit, cum aditus facilioris tum liberioris aeris immittendi causa. Sed et alia hujus structurae causa subest.

NAM cum animi in omni morborum genere vis magna sit, isque inferre, augere, aut immunuere morbos varie confueverit, quaecunque, in domus aedicandae ratione, ad hilaritatem aut tranquillitatem ejus, sanitati maxime convenientem, conferunt, locum sibi vindicant.

Ex his, libera lux et jubar per fenestras modo memoratas immissa, nostri sunt propositi; quippe quibus nihil magis mortales animos recreet, nihil jucundiores aut sereniores praefestet. Igitur ad meridiem tota longitudine aedes vergere, neque ulla pars nisi necessario ab eo averti, debent. Quo fiet ut si simplex domus fuerit, ut supra praecepi, et alae defuerint, quod fieri quoque judico, nullum ubivis cubiculum, non et sole et aëre recreetur; et CELSO, "inflatum aestivum, hibernum Solem habere" jubenti, cum commodo pareatur. Nam haec aedificandi ratio, cum modicam aëris temperiem nosocomiis necessariam ostenderim, ejus copiam quandam dabit. Solis radii per vitra traluentes frigus immodicum temperabunt; modicum frigus, apertis fenestris, aestus incommoda levabit.

Quae tamen ita dico, ut alas, alteram in meridiem productam, alteram in septentriones rejectam, quo neutra alteri officiat, jubarve aut aëris liberioris meatum intercipiat, haud incommendas fore fatear; eoque magis, quod sic ab utraque parte ad angulos quibus illae reflectuntur, domum gradibus antedictis dividendi copia facta erit. Quorum graduum imus eam coeli regionem respiciat, quae liberrimos et purissimos ventos emittere solet. Ea

autem

autem in Britaniae Hiberniaeque plerisque locis septentriones sunt.

SERMO de partibus internis plurimas res complexus, cubicula et horum supellectilem, culinas, medicamentorum officinas, cellas familiares, appartum aegris communem, et quae-dam alia domui communia tractabit.

Quo minus cubicula spatiösiora et plurium capacia quaedam sint, quibus ii, quorum morbi a contagione alieni sunt, communibus utantur, nihil obſtare video: praefertim cum parsimo-niae in talibus domibus nunquam oblivi-scendae, hoc maxime consilium conveniat; ve-rum in hujusmodi cubicolorum neceſſitate, unum ſemper, quo, reliquorum purgationis et aëris mutandi cauſa, migretur, vacuum fervandum, praeclaro DONALDO MONROO, idem in noſocomiis militaribus monenti, affentio. Atta-men plura separata, quae unum aut alterum aegrotantem capiant; non omnia pauca et multis communia, quibus e turba concluſa morbis contagiosis laborantes reliquos inficiant, parare operaे pretium eſt. Non enim fatis eſt unum alterumve manifestiore contagione periclitantem a reliquis segregare; multos vero alios eadem labore paulo occultius ſuffectos in certum prope periculum alios deducere pati. Enimvero magna morborum pars, et
omnes

omnes fere per populum graffantes, profecto contagione non carent. Nec injuria suspiciuntur, quotquot homines ex domibus privatis, ubi alios eadem mala vel teneant, vel paulo ante tenuerint, ad nosocomia sint perlati; eoque minus vana haec suspicio erit, si eadem mali natura eodem tempore per populum saevire intelligetur. Hi omnes et multi alii seorsim sunt habendi, curandumque ne inopum et miserorum salutare auxilium in perniciem nonnullorum vertat. Nam neque hiberno tempore spatiisorum cubiculorum omnes igne partes pariter calefiunt; neque valetudinariorum multitudo in eundem locum coacervari potest, quin strepitum et vocibus alii alios offendant, somnique aut quietis usum necessarium vigilantes aut inquieti, interturbent. Ad supra dicta adtexendum est, unumquodque cubiculum, pro concludendorum numero, amplum, spatiosum, altumque deberre esse. Quam altitudinem contignationum praecepta altitudo parabilem efficiet. Postremo, singulis cubiculis singula loca conclusa includenda sunt.

CUBICULORUM supellex deinceps consideranda est; eaque per lectos et horum partes, matulas, scaphia, thermometron, focos, et fenestrarum opercula, exigitur.

LECTORUM ea inter se distantia convenit, quae imperiori judici eam contemplanti longe nimia videretur. Ab hac re alienum non est JOANNIS PRINGELII dictum, qui de nosocomiis castris loquens, "lectos ita raros, iisque "inter se intervallis disponendos," ait, "ut vul- "garis homo oculis eos intuens triplicem facile "numerum posse esse diceret." In nosocomiis, de quibus agimus, intervalla paulo minora nihil nocebunt; lectorum pedibus lapsus rotarum subjecti commodi erunt, quibus ultiro citroque, quietioris aëris mutandi causa, loco illi motentur.

SPONDAE et fulcra, et si qua alia pars firma materie eget, si sumptus tolerabilis fuerit, ex ferro aptissima erunt, quibus cumices aut aliae fordes quam minime adhaerescant. Imprimis enim munditiae circa aegrotantes praestandae sunt; de qua re fusius paulo per occasionem verba faciam.

QUA etiam de caufa, laneis aulaeis, quae magis fordescunt et parum lavantur, linea anteponenda sunt, quae commodius lavari et munda servari possunt.

DE stragulis, praeter eandem munditarum rationem, nihil proprium habeo dicere.

STRATA autem plumis recentibus, et quam diligentissime siccatis, impleri; aut, si carum sumptus

sumptus minus commodus visus fuerit, pilis suffarciri utile est. Pessima autem consuetudo est lana implendi strata. Ea enim molesti caloris, culicum, pediculorum, et aliarum fordinum, materia est.

QUOD si supervacuum credatur ad singulos lectos singulas matulas aut scaphia, aliaque vasa, quibus in acutis morbis urina infra vestem stragulam commodius excipiatur, et lafana pertinere dicere; certe haec ipsa non in aperto cubiculo, neque infra lectos habenda, sed in parva conclavia quae supra relata sunt concludenda, non etiam levi de causa praeceptum esse videbitur. Neque obliviscendum est, dysentericorum sterlus, separatis lafanis, quo minus noxius halitus ad reliquos inde perveniat, servandum; atque inde ad receptaculum commune, de quo postea dicetur, primo quoque tempore deferendum esse.

FENESTRARUM operculo ligneo, duabus valvis constante, opus est. Quibus minus aut magis pro occasione inclinati, aut arcte ad vitra applicatis, nimia lux minuatur, obscuretur, aut omnino excludatur. Cujus rei utilitas in multis morbis manifesta est, ubi corporis sensilitas cum aliis rebus offenditur, tum oculi, luce clariore perstricti, irritantur, eodemque pacto somni et quietis usui consuluntur.

PORRO, cum coeli temperies in eodem loco

vix temporis puncto consistat, et semper fere per omnia anni tempora, omnes tempestatum vices, varia et mutabilis ruat, ejus omnes vicissitudines notari et quam diligentissime servari oportet. Itaque thermometron, intus ad lectos suspensum, frigoris et caloris vices modosque, exquisite indicabit. Cujus instrumenti, in aegrotantium curatione, necessitatem non potest non videre is, cui, quantum aëris temperies vel integerrima corpora moveat, perspectum fit.

AD spatiofa cubicula calefacienda, singuli ignes singula, non sufficiunt. Itaque in uno quoque plures focos, quam aequissimis inter se intervallis dispositos, quibus, igne imposito, aer aequa ubique temperie servetur, pariterque toto intus spatio frigora defendantur, haberi operae pretium est. Neque minimum quidem cubiculum igne, itaque uno foco, commode carebit. Idem foci majores aut minores esse, pro majore aut minore loci spatio, calefaciendo; et pro illorum magnitudine, plus minusve fomitis quoque super imponi, debent.

OFFICINAE tres sunt; medicamentaria, chemica, et chirurgica.

OFFICINA medicamentorum sit justum conclave, satisque amplum, quo omnia medicamenta

camenta ordine explicitur, commodiorque ad singula aditus sit. Quoque idem siccum magis, eo aptius erit. Multa enim illic servanda medicamenta, in humidiore loco, facile liquefcunt, multa mucescunt, aut aliter corrumpuntur. Idcirco hic quoque, praeter alios usus, foco et igne opus est. Hujus loci apparatus, pistilla et mortaria, alia vitrea, alia marmorea, alia metallica, alia majora, alia minora, pro diversa rerum contundendarum copia; item uteres vitrei, pari figurae et magnitudinis varietate; postremo, circa totum undique locum, varia similiter scrinia quibus sicca capiantur et similia, sunt.

NEQUE officina chemica, quam plerisque nosocomiis deesse video, tamen deesse debet. Ea pluribus focus, diversa structura et magnitudine, quibus ad alia opera chemica conficienda ignis aliter dirigatur, instruenda; simul, ab aegrotantium cubiculis et medicamentorum officina, ne quid ex nimio plurium ignium calore detrimenti oriatur, in separatum conclave dividenda videtur.

QUALIS locus instrumentorum chirurgicorum capax esse debeat, vix dicto opus est. Satisque est, armarium aliquod siccum, et ab omni humoris periculo remotum, ne ea, quae munda et terfa esse convenit, rubigine usui
inceptiora

ineptiora fiant, neque id quidem magnum quaerendum esse, dicere.

CULINAE in unoquoque nosocomio duae requiruntur; altera communis, in qua ea quae ad quotidianum sanorum victum proprius accedunt currentur; altera extraordinaria, ubi certis casibus cibi ac potionis proprii magis parentur.

CUBICULUM Rectrici, cellaeque nutricibus et reliquis famulis, in ima contignatione distribuantur. Nam ei domus parti quam solam continet, quaeque tanto gravior, quanto humidior est, integri quam aegri tutius committuntur.

AEGRIS communis apparatus est machina electrica, utile in multis morbis remedium; balneum in aliis, frigidae lavationis locus in aliis, utilissima.

RELIQUUM nunc est, ut de quibusdam rebus, ad superiores divisiones haud facile referendis, pauca non omittenda persequar.

ERGO, ut nihil, quod aëris regendi, et saluti eum accommodandi, potestatem faciat, leve aut a nostro proposito alienum videtur; ostia autem exteriora, aëris fluentis opposita, pro occasione clausa aut aperta, ejus rei summam copiam praebent; ita magnis gradibus, quos liberrimorum ventorum regionem spectare, et

ad omnia cubicula pervios esse volui, fores
arcte accommodatae praependendae sunt.

ITEM fenestrae per graduum totam altitudinem, in singulis contignationibus singulæ insertae, ob eandem causam utiles quoque erunt.

HAE utraeque, clausae calorem, apertae immisso aëre frigus, praebebunt, aegros reficient, aëra temperabunt, stagnantem, praefertim in majoribus cubiculis, magis elasto mutabunt, multum boni praestabunt. Neque foliae ea faciunt; sed fenestrae ipsorum cubiculorum fenestris oppositae, item horum altitudo, et pro conclusis corporibus amplitudo, de quibus supra est relatum, eodem etiam conferunt, et suum auxilium, suum usum, conjungunt. Quarum utique rerum cum origo simplicior sit, et ab aëre coelesti vel humana corpora proprius accedente, vel inde excluso petenda; hic justus locus videtur, quo de utraque re ad tot supra dicta pertinente plenius paulo et subtilius ratiocinari detur.

CORPORIS humani calorem thermometri Farheinheitiani gradus 98 indicat; coelestis, hac in regione ejusdem thermometri gradu 62 notatus, gratus et jucundus est. Itaque illo hic multo minor est. Idem tamen supra gradum 62 affurgens, licet etiamnunc multo minor,

minor, tamen molesto nos calore afficit. Contra, infra eundem decidens, sensum injucundi frigoris praebet. Tota autem rei ratio in hoc posita est, ut corpora hominum calorem gignendi potestate praedita, si hic exhalans ad circumfusum aëra aequaliter diffusus perit, alium per foramina undique dimanantem aequaliter quoquerenovent, et circa se constantem caloris modum servent. Id autem, in coeli temperie media, quam thermometri gradu 62 signari dictum est, fieri semper solet.

HAEC autem frigoris ratio est. Minor calor coelestis modico illo modo dicto, plus humani, unoquoque temporis puncto, dissipatum aufert, quam eodem temporis spatio renovari, summo corpori circumjici, atque hoc defendere possit. Itaque minus quoque proprii caloris id ambibit, propiusque externus ad summa ejusdem assidue adspirans, sensum quendam ingratum, quem frigoris dicimus, efficiet. Cumque calor hominibus naturalis stabili et constanti sit natura, quicquid proprium frigidi aëris ad summa corporum adventum intercludit, id omne adversus omnes frigoris modos efficax erit remedium. Hujusmodi autem vestes, domus, et ignes intra has accensi, sunt. Ergo, ubi thermometron quod ad lectos aegrotantium suspendendum

judicavi,

judicavi, mercurium multum infra gradum
62 subsidisse ostendit, tum omnes fenestrae
omnia ostia per totam domum claudendae,
ignesque accendendi, et, si intensiora frigora
postulaverint, plus vestium superaddendum,
videntur.

CALORIS, e contrario, natura sic explicabilis
est. Ambiens coeli calor medio memorato
major, nativi, interius corpora ambientis,
minus accipit, facitque ut hic circa corpora
cumuletur, augeatur, et molestum tandem
ardoris sensum excitet. Cujus quoque praefidum
erit, quicquid, supervacuum suum undique
circumfusum halitum, a corporibus difflat
amovetque. Talia sunt ventorum flumina
in corpora ruentia, et aër media temperie invenius.
Verum in nimio calore, cum venti
non semper afflent, neque loci a summis ar-
doribus tecti, ubi justa sit temperies, facile et
ubique reperiantur; ideo caloris quam frigoris,
remedia rariora, minusque in nostra potestate
esse, appareat. Quo magis ut hanc contemplationem
ad usum et nostrum propositum pro-
pius deducam, omni cura omni observatione
opus est; ut faltem, quod auxilium adversus
minores calores in nostra manu est, id, fluentis
aëris liberioris undique in nosocomia inductis,
praestare simus parati. Quoties igitur aëra

nimas calere, mercurius supra 62 thermometri gradum levatus, significaverit, universae fenestrae, ostia, rimaeque patefieri debent. Cujus cautionis, praeter frigus sic inductum, alia in multitudine aegrotantium causa est. Est species aëris a philosophis nostræ memoriae reperta, quam mephiticam appellant, isque, ubi purior est, flammam et vitam extinguit; ubi in aëre meliore aliquantum ita dissipatur, ut partim seorsim agat, valetudini gravis nocensque, malos morbos et præ caeteris putridos infert; cum aëre prorsus et chemice mixtus, innocuus est. Inter autem haud paucas ejus per rerum naturam origines, etiam ab humanis pulmonibus et cutis foraminibus provenire compertus est. Cum aëre autem penitus coit, miscetur, et sua amissa, ejus naturam induit, per omnes temperiei gradus ab imo usque ad sexagesimum secundum, ut nihil inde offendit, neque ad singulares homines neque ad multos arctius confertos, perveniat. Suam pariter in aëris coelestis natura perdit; pariterque nihil offendit, ubi parva ejus pro illius copia est, aut perflatus eum a corpore verrit. Verum cum aër externus sive sponte super modum calefcit, sive gravis halitus ex multitudine ortus eum calefacit, tum demum dira lues supra relata erumpit, et miseros

miseros mortales misere affigit. Cujus rei, si nihil in coelo noxae est, gravis vapor e corporibus dimanans, circa haec condensatus et quiescens, inque eadem, apertis simul calore foraminibus, rursus insinuatus, in causa est; remedium, obstaculis omnibus remotis, per quam plurimos aditus et spiracula aër elasticus intromissus. Proprium nosocomiis unum est, ut cum pluribus contignationibus necessario constent, neque ima aegrotis ob causam jam allatam permittatur; ideo gravis vapor, modo dictus, ab inferius habitantibus ad superiores usque, sua natura, ascendat, atque usque eundo aucta, in summa demum domo saepe intolerabilis fiat. Is autem, communibus portis ad singulos gradus imos, fenestrisque ad summos eosdem, in unaquaque contignatione, inque ipsis cubiculis, apertis, valido aëris agmine irruente, abigitur, cujus locum melior aër succedens occupat.

POSTREMO, ne alias efftercore vapor huic pervius sit, pestemque memoratam teterrimo odore et cumulata noxa augeat, illius commune receptaculum a gradibus averti, locoque quam maxime ab omni aegrotantium aditu dissidente, esse necesse est. Nam in nonnullis nosocomiis, ubi hoc fervatum non est, unaque cum malo aëre materia impura, per iter commune,

mune, ab excrementis quoque summittitur; prout altius gradibus ascenes, ita magis atque magis foedus odor tibi nares feriet; Ut igitur cui hoc paeceptum supervacuum videatur, is carere naribus dicendus sit. Cella, ubi vestes lavantur, seorsim sit oportet, ne mador inde ortus aëra domesticum humidet.

NEQUE cadavera in cubiculis aegrotantium relinquenda, sed quamprimum, post animam efflatam, ad locum separatum clausumque deferenda, videntur. Plurimorum enim cadaverum rapide ruens putredo in summum vivos periculum conjicit.

ADMINISTRATIO quae per medicum, chirurgum, pharmacopolem, nutrices, rectricem, aliudque ministerium, perficitur, in totidem partes, expedito ordine, diducitur.

PRINCIPIUM autem a medico est. De quo acturus, haud nescius sum, meum hoc loco solummodo esse, ejus circa valetudinarios officium tradere; non etiam, qualis, quid medicinae sciens, quibus artibus instructus, ad hoc munus accedere beat, docere; satisque esse, ut is quam optimus fit, uno verbo, praecipere. Verum, quum hoc maxime tempore, Superis volentibus, cives mei rem pulcherrimam agant, perque totos Hiberniae agros, suscepta misericordia causa, quibus inopes aegrotantes
recepti

recepti curentur, hospitia undique condant, ne tantam rem indignis credendam, et misericordia publica frustra sit necne, parum referre, existimare videar, utramque rem, et quid scire, et quid facere medicum conveniat, paucis attingam.

SCIENTIA medici ad necessariam, utilem, et commodam redit; in qua postrema naturalis quaedam bonitas locum habet.

PRIMUM autem rationalis artis disciplina, et usus medendi necessarius est. Nam ut iis qui, ratione neglecta, usui caeco et imitationi servae sepe tradiderunt, non est credendum; ita nec iis qui, his omissis, illam inaniter et sine sensu coluerunt, tot hominum salus recte committitur.

Alterius sic

Altera poscit opem res, et conjurat amice *.”

ITAQUE virum dignum qui valetudinarios ample curet, anatomiae, chemiae, rei pharmaceuticae, materiae medicae, physiologiae, pathologiae, et usus medendi, necessario peritum esse; neque de morbis in scholis audire, sed eos ipsos videre et explorare, atque in iisdem tractandis et curandis versari, oportet. Ad haec sapientia, acre et sagax ingenium, diligentia, fides, et probitas, imprimis postulantur.

Ad

* Horat. de art. poet. vers. 409.

AD quarum rerum necessariam scientiam utilis aliarum accedit, logicae, artis mathematicae, metaphysicae, rerum naturae; item ex sermonibus antiquis Graeci et Romani, e recentioribus Gallici et Vernaculi, notitia: Quae, ut Romanus ait, “ quamvis non faciat mediciū, aptiorem tamen medicinae reddit.”

QUA cognitione eum esse imbutum quo certior fides sit, in scholis quam optimis medicum didicisse, atque, ubi institutus est, inde lauream artis accepisse convenit. Quod clarius magisque fidum, ingenii, diligentiae, et in disciplina progressus, testimonium est, quam si, fallace earum rerum periculo facto, ab ignotis ipse ignotus, suspiciosum et saepe existalem titulum, furto quasi auferret.

COMMODAE autem in medico artes sunt, summa rerum et hominum peritia, mores ingenui, liberales et graves, auctoritas et dignitas comitate et humanitate temperatae; postremo, vultus bonus et spe plenus, unde, in re dubia, spes quoque, cuius haud leve ad salutem saepe momentum est, afflictis innascatur. Itaque CELSUS “ Periti medici,” inquit, “ est, non pretinus ut venit, apprehendere manu brachium; sed primum residere hilari vultu, percunctarique quemadmodum se habeat; et, si quis ejus metus est, eum probabili ser-

“ mone

“ mone lenire ; tum deinde ejus carpo manum
“ admovere *.”

QUOD autem ad officium medentis attinet, ita se inter aegrotantes gerere meminerit, ut semel die omnes vifat, et unicuique convenientia praecipiat; alios autem iterum tertiove, aut quoties usus postulet, revisat, idque quod in eo fuerit auxilium cum cura praefestet. Cujus totae partes ad haec fere redeunt, ut medicamenta per pharmacopolam et chirurgum ad praescriptum administranda curet, per nutrices victus et exercitationis rationem regat, et omne munditarum genus, rectricis et nutricum munera non dispiciens, circa aegrotos praefestet; alios aegros recipiat, alios integra jam valetudine dimittat, alios parum se ordine gerentes, aut dicto non audientes, castiget; delinquere pergentes ignominia notet, aut domo ejiciat; temporum et tempestatum vices observet, adversus has, ubi nocebunt, praesidia inveniat; omnibusque in rebus omnia curet, regat, administretque. Eique scriba attribuendus est, qui pracepta libro inscribat, aliisque in rebus eum adjuvet.

SUUM quoque chirurgo munus praescrivendum est. Ad eum ea opera, quae manu perficiuntur, omnia pertinent; quorum igitur usus artem et acrem cum prudentia dextram deside-

* Lib. 3. cap. 6. p. 129.

desiderantium, ad haec anatomiae, chemiae, artificiique mechanici, notitia necessaria est. Hunc fortis et firmus ad omnes casus animus sustineat, ut neque querimoniis neque clamoribus, neque vultu miserabili, neque sanguine effuso, neque cruciatibus, neque ulla infelicum misericordia moveatur; quin omni perturbatione vacuus, invicto pectore ad salutem contendere perseveret. Is quoque quotidie semper saepiusve, re postulante, sibi commissos visere, et subinde medicum, si qua res durior visa fuerit, consulere debet. Superbia enim chirurgica suam artem a medicina separans, aut hujus quoque cognitionem sibi vindicans, ubi ordine opus est, ferenda non videtur. Praeter autem eum, etiam juvenem, chirurgiae non ignarum, ali in domo, et semper praestō esse, qui vulnera curet, iis medicamenta imponat, demat, mutet, et similia, absente chirurgo, sed hujus tamen praescripto administret.

PHARMACOPOLA diligens, medicinae simplicis, compositae, atque etiam hanc compendi ritus gnarus, sobrius, cautus, et ab omni temeritate alienus, esse debet. Estque in hoc homine gravitate et probitate spectata opus. Neque enim, cum is, inter mille res diversissimas, quarum plurimae nocent, multae etiam mera venena sunt, et error admissus, pessimos trahit.

trahit effectus, versetur, omnisque praescripta exsequendi cura ad eum descendat; levi aut infido ingenio maxima res credenda est. Pharmacopolea autem est, ut medicamenta quam optimi generis sint, idoneisque modis et temporibus adhibeantur, curare; perversam hominum, si jussa medici detrectent, voluntatem corrigere; et si qui regi per eum noluerint, aut aliter parum se ordine gerant, eorum delicta cum fide ad medicum deferre; postremo, quam minime, absente etiam medico, sive interdiu sive noctu, domo abesse; nam, in tanto morborum numero, subitorum casuum mobilitas praesentem et paratam omni hora opem desiderat.

NUTRICES quae inter valetudinarios versantur, eorumque curationi invigilant, proximum iis qui medentur locum occupant. Earum munus est aegris assidere, praefto esse, medicum, quoties occasio postulaverit, rogare, fomenta parare, jacentes tollere, erigere, sublevare, lecto efferre, vestes induere aut exuere, lecto reponere, posituram mutare, cibos et potionis quorundam aegrotantium proprias in altera culinarum curare, haec et medicinas dare, scaphium aut lafanum subministrare, hoc in conclavi concludere, ac deinde quamprimum in commune receptaculum sterlus ab-

latum effundere, lectos sternere, cubicula detergere, omnia munda ac nitida servare, ignem accendere, medico aut chirurgo, quemadmodum iis absentibus aegri se habuerint, accuratius narrare, et similia alia, sed precario, uti dictum est, et ex medentium jussu, exequi. Quarum mulierum quae sit necessitas quis non videt? Illarum igitur omnium rerum peritia ac usus, praeterea fides et diligentia, ab iis requiritur. Non enim insuetae et inexpertes aegris administrandi moris, ea quae ad hoc officium attinent, facile praestent. Nam in omnibus rebus experientia optima magistra est. Neque quicquam adeo simplex, planum, aut expeditum est, quin arduum, impeditum, et difficile, parum affuetis aut non expertis fiat. Infidis autem aut negligentibus perpetua aegrorum corporum cura cum summo periculo committitur. Eadem, cum imperium medici non intercedit, in mundiarum ratione servanda, omnique domestica curatione, parere rectrici debent.

RECTRIX sobria, sapiens, rerum domestica-
rum perita, simplex munditiis, ab iracundia,
odio, superbia, inanitate muliebri, aliisque
animi perturbationibus vacua, aetate proiecta,
et vel marito orba vel nunquam cuiquam
juncta, casta, proba, ab ingenuis moribus non
aliena,

aliena, officii diligēns, eaque auctoritate quā
fuis ministras officiis contineat. Illius est
omnibus rebus domesticis praeesse, supellectilis
munditiis per nutrices et famulas consulere,
et similia alia ita curare, ut tamen medici, item
chirurgi et pharmacopole, auctoritatem sem-
per respiciat, et quarta domus potestas sit.

PRAETER munera nutritum super exposita,
nulla opera familiari circa aegrotantes opus
est. Id vero famularum quod ad alia munera
domestica sufficiat habendum est. Quibus,
sicut et nutritibus, hoc commune est, ne omnia
omnibus per saturam agantur, sed singulis
suae partes dispergiantur. Quippe metus est,
ne, unoquoque in alterum quicquid agendum
est inclinante, et sibi otium, ut mos plurium
ministrorum aīnat, quaerente, necessaria ne-
gligantur, aut male et tumultuose fiant. Ita-
que una aut altera puerilla, si quid spatii extra
aegrorum cubicula est, ei et gradibus pur-
gandis, item reliquis per domum ignibus
faciendis, alia lacti curando, aliae vestibus la-
vandis, attribuendae sunt. Aliis in culina opus
faciendum est, quibus coquus cibos curandi
peritus praefit. Item famulus apparere debet
qui fores custodiat, et ultiro citroque five
nuncius aut mandatum deferendum sit, five
aliquid petendum aut portandum, mittatur.

His

His omnibus praeesse rectricem, ut supra ostendi, aequum est, eamque summa administrationis domesticae respicere. Nam quoniam, quasi respublicae tales domus sunt, iis Homeri dictum, "non bene geri rem publicam multorum imperiis," convenit *.

His autem omnibus, quorum operam in ulla administrationis parte adhibendam demonstravi, una res in sua cuique occupatione semper est spectanda, ut munditiis consulatur, earumque constans ratio habeatur. Sordes enim quae nunquam humanae saluti profunt, in multitudine in unum locum collata, eaque morbis conflictante, ut nocentissimae sint necesse est. Eaeque tanto etiam nocentiores erunt, quanto proprius aegra corpora sunt, arctiusve adhaerescunt. Quo pejor eorum medicorum error fuit, qui in morbis febrilibus ab initio usque ad finem indusia mutari vetuerunt, qua curatione factum est, ut ex fordibus a perspirato halitu aut aliunde ortis corpori adhaerentibus, hujusque deinde vasis receptis, variae noxae natae ad vim morbi accesserint. Indusia igitur, et stragula linea, cum in aliis morbis, tum, praeceteris, in putridis aut contagiosis, ubi haec haud parva curationis pars est, quam frequentissime mutanda

* Homer. Iliad. lib. 2. vers. 204.

tanda sunt. Contagio enim non solum ab aliis ad hominum corpora, verum etiam ab eodem quasi homine, ad illum ipsum pervenire, seque accumulata augere potest. Neque metuendum est, ne inter mutandas vestes et corpus denudandum, homo aëri objectus in periculum incidat. Nullus enim morbus est, nullum morbi tempus, quo prius calefacta indugia aut stragula linea, modo longior mora caveatur, non tuto circumjici liceat. Nofocomiorum vero proprium est, si aër frigidus liberior per domum meat, laborantes intra laneam stragulam tutos, veste munda circumdare. Ad munditiarum quoque curam lecti motati usus, cuius rei causa iis rotas subjiciendas putavi, praefertim calore vigente, et in morbis putridis ac contagiosis, pertinet. Qua ratione aër, sive nimio calore, sive noxiis rebus gravis, novatur, et in puriori spirandi copia datur. Ad haec una observatio propria est, cuius ante memini, ut sterlus, praefertim dysentericum, diligenter conclusum, semper quamprimum ad receptaculum commune deferatur; periculum enim est, ne ab eo minus servato gravis halitus summiffus ad proximos perveniat, et praefentibus malis etiam aliud, idque pessimum, superaddat. Postremo, ne culices, pediculi, pulicesve ullam lectorum par-

tem

tem infestent, attendendum est; quippe quaē foedissimi maximeque pestiferi fordium generis proles sint. His omnibus rebus medico diligenter invigilandum est; et five rectrix five nutrices, five reliqui ministri, haec parum servaverint, quaecunque sic deliquerit, ea, non condonanda culpa admissa, ab officiis et nosocomio extra veniam ableganda est.

CUM non omnia medicamenta omnibus necessaria sint, et plerorumque morborum fanatico intra exiguum illorum orbem consiftat; ideo nec tota illa, quam in pharmacopoeias five ignorantia, five perversa diligentia, five etiam supersticio congescit, farrago, nimio supervacuo, quemque res haud facile ferat, sumptu, in nosocomiorum usus, quaerenda est. Qui enim praesentes cum prioribus pharmacopoeiis a GALENI usque ad haec tempora conferat; posterius et cultius aevum superioris semper vitia correxisse, multa inania, vana, supervacua, aut contraria rejecisse, et simplicium medicamentorum numerum usque imminuisse, compcriet. Quin et multa adhuc in Londinenſi ac Edinensi pharmacopoeiis, licet eae omnium longe optimae sint, linenda atque delenda restant: quae illi doctissimi et clarissimi viri, partim opinionibus ac studiis vulgaribus, partim empiricorum impudentiae, partim deni-
que

que magnificentiae et coloris pulchritudini concedenda pro tempore, ne omnia recidere ac nihil loco immotum relinquere viderentur, et paulisper indulgenda, iudicarunt. Nec dubium est, quin Edinenses, qui suum, quo tempore haec scribo medicamentorum liberum recudunt, multis partibus eam, tam breviorem quam emendatiorem, in lucem sint reddituri. Eandemque porro liturae necessitatem diu mansuram, et in sera secula descensuram, non veri solum simile, sed et verum certumque videtur. Quibus utique incommodis, in aegrotantium hospitiis, facilis carendi copia est. Neque iis convenientium medicamentorum dispensationem eadem, quae publicas pharmacopeias, premit iniqua necessitas. Nihil in illis audacium hominum impudentiae concedendum, nihil ignorantiae aut vanis studiis datum, nihil magnificentiae damnofae largendum; contra, sapientis, docti, et probi viri arbitrio, omnia administranda. Praeterea, inter collegii, et privatam, fortè plurimum interest. In illa, omnijum ordinum atque conditionum homines respiciendi, totusque populus non juvandus solum, verum etiam, ut varie placetur, multa ferenda; in hac, inopibus miserisque, alieno beneficio habitis, salutaria sine gratia aut ambitione paranda. Nullius

lius igitur, ne repurgatissimae quidem pharmacopoeiae, omnia in nosocomiōn quodvis coacervari debent, eorumque ita delectus haberi, ut supervacua rejiciantur, pretiosioribus, nisi horum pauca utique necessaria sint, viliora et parabiliora anteponantur, atque ea quae maxime utilia sint, quaeque usus communes postulent, sola retineantur.

NEQUE penoris hujusmodi domibus accommodati ratio praetereunda est. Talia vero ad viētum providenda atque paranda videntur, qualia tenui plebeculae, cujus de numero plerique sunt, qui sic ample curantur, quam maxime respondeant. Cujus tamen rei aliqua est varietas. Nam alii quoque, qui benignius vivere consueverant, aliis causis coacti eodem deferuntur; atque utrique jam morbis affecti, viētus quandam proprietatem requirent. Itaque neque durius vivere conuento lautiores epulæ, neque his uti solito pejor viētus convenit, neque utrovis jam in morbos implicito, non aliquantum, ex conſuetudine ciborumque et potionum genere, recedendum est. Verum de viētus genere plenius differere, aut praeceptum aliquod communius proponere, vix nostrum hujusve loci est. Aliud enim incipientes morbi, aliud consistentes, aliud decedentes, aliud longi, aliud acuti,

acuti, requirunt. Atque ex iisdem morbis alii alias hujus rei proprietates habent. Item variae aetates, naturae, sexus, certaeque non-nullis propriae conditiones, quas ἀδισανηράς Graeci nominant, totidem ciborum potionumque proprietates, easque pariter variantes, postulant. In delectu autem, qualis cuique victus conveniat, habendo, maxime commune praeceptum est, ut status ventriculi respiciatur, quidque hic ferat, aut ferre recuset, exploretur; cujus rei, sicut et morbi, natura considerata, materiae genus utrique respondens, permittatur. Verum, praeter causas allatas, haec tota quaestio, cum verbosiore et pleniore, quam nostro conveniat proposito, oratione egeat, magnam medicinae partem comprehendat, et pleraequaque, quas tractat, res non in longiorem diem paratae intus recondantur, sed quotidie consumptae reparentur, ideoque in hac re ad medici domestici quotidianam quoque curam magis attineant; nobis in medio relinquenda, et illius, ex ipsa re e vestigio semper judicaturi, et consilia pro occasione capturi, arbitrio committenda videtur. Solumque addendum est, ut medicamentorum, ita alimentorum rationem, parsimoniam cum utilitate temperatam, postulare.

